



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 2. In luxuriosos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

gónē ad horam mihi momentaneas & fugitivas ingessistis delectationes, ut aternas postmodum inferrent angustias? nimirum quamdiu in corpore degit peccator, non nisi bona & mala corporea sentit, ideóque de amisso brachio dolet, de peccato admisso gaudet (ut observavit Aristoteles lib. 2. Rhetor.) damna spiritalia, cum sub sensum non cadant, nihili ducit; certè si primo patrato scelere minueretur peccator digito, pro altera noxa truncretur naso, pro tertia privaretur oculo, & post quodlibet peccatum membro aliquo corporeo destitueretur, quàm citò purus sceleris & vitæ integer foret; cum verò Deum

& animam perdit, damnum non sentit, quia sensum perdidit, at erit tempus, quando apertis mentis oculis immania damna, quæ in caput suum peccando accersivit, videbit & irascetur, trepidabit, dentibus suis fremet & tabescet. contra quod tabum respicite peccatores, dum potestis, & respiscite; levate capita & corda vestra ad patrem misericordiæ, nè in fulmineas severæ justitiæ manus, in lamentationes & væ æternum incidatis.



# PHILIPPICA II.

In Luxuriosos.

## DOMINICA II. ADVENTUS.

Joannes in vinculis. Matth. II. v. 2.

S. I.  
Ob reprehensam luxuriam multi vinculis & morti additi.



Emo diu inquirat, cur in vinculis hæreat Joannes. *Philippicam* pro Philippo herodis fratre in raptorem adulterum dixit, uxorem legitimo restituendam marito monuit, libidinem regiam acriter perstrinxit, hinc ad vincula cœlestis præco rapitur, constringitur, captivatur, & divini libertatem oris squalore carceris, imò diminutione capitis luere jubetur. ergo infrunita Regis luxuria vincula injecit præcursori? ita est, damnatur ad compedes castissimus Ioseph à luxuria adulteræ; adducitur in supremum vitæ discrimen liliata Susannæ in-

tegritas à luxuria inveteratorum nequitia; Joannes pariter ab impiissima Herodis luxuria in vincula compingitur. ò luxuria hostis gratiæ, persecutrix veritatis, innoentiæ tyrannis! heu quot præcones veritatis, quia liberè pro castitate dixerunt, & Joanneum illud: *non licet* repetierunt, vinculis & feræ morti sunt addicti. Sic Kilianus Franconum Apostolus à Gosberto Herbipolensium Duce; Sic Stanislaus Cracoviensium præful à Boleslao Polonorum Rege; Sic Ioannes Fischerus Angliæ Episcopus & Cardinalis ab Henrico VIII. interiit; Sic nuper in aula madritensi (quod ipsemet Rex Catholicus Philippus IV. veritatis con-

PHILIPPICA II.

conscijs publicâsse fertur ) concionator nobilis ab impio præfule, cuius notoriam libidinem sæpius pro suggestu perstrinxerat, frustra in cubiculum cum effroni lupa compactus ac genitalibus denique mutilatus victima virginitatis cecidit, & philippicarum suarum purpureum præmium reportavit. quibus ego excitatus tragædijs, ac strepitu potissimum Ioanneorum vinculorum commotus, omni virium contentione in luxuriosos philippicam hodie decrevi, cuius ut fructus sit uberior, Ioannis in vinculis suffragia, & propitij Jesu benedictionem imploro.

§. 2.  
Luxuriosorum difficili con-  
versio.

At, quid ego in luxuriosos sententiarum fulmina evoco, aut verborum flumina congreco, frustra erit oratio, frustra cominatio, frustra labor omnis & sudor, non convertentur à vijs suis pessimis; sed, quia in profundo sunt, contemnent, cœlique minas pro joco, gehennæ supplicia pro fabula, tragicas incestuosorum catastrophes pro terribulamentis habebunt. Centum annis in luxuriam Noë detonuit, & cœli furores prædixit, & mundi exitium in arcæ fabrica effigiavit, quo tamen fructu? omnino nullo. facilius fuit bestias in arcam congregare, quàm bestiales homines ad pœnitudinem inducere. Quæ unquam potentior ad persuadendum vox fuit, quàm vox clamantis? clamavit in adulteros Joannes, sed vox prius faucibus hæsit, quàm ad cor vecordes Rex & Regina redirent. Paulus eloquentiæ miraculum, & ut loquitur Hieronymus ep. 61. ad Pammach; *tuba Evangelij, rugitus leonis, tonitru gentium*, tam felix in persuadendo non fuit, ut Felicem præsidem converteret, allegarit licet severissimum iudicij diem & parata luxuriosis supplicia vivacissimè repræsentarit: *disputante autem illo*

( Paulo ) *de justitia & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade.* Act. 24. v. 25. contremiscere Felix potuit, respicere tamen noluit, infanis Drusillæ suæ amoribus irretitus. nimirum: *Verbum sapiens audivit luxuriosus, displicebit illi & projiciet illud post tergum suum.* Eccl. 21. v. 18. Prodigus filius cum peteret portionem substantiæ, non opposuit se Pater, nec severius verbum protulit, quia novit non tantum non corrigendum filium, sed deteriorem ab increpatione evasurum: *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationis in medio eorum.* Os. 5. v. 4. ut ex Ægypto innumerable populis educeretur, sufferunt duo fratres Moyses & Aaron; ut unicus Loth cum duabus filiabus & uxore Sodomâ educeretur, duorum angelorum lacertis opus fuit, Genes. 19. vers. 16. *dissimulante, illo apprehenderunt manus ejus.* per manus arripiendi sunt etiam innocentes, ut cum nocentibus non intereant. Invitetur ad pœnitentiam luxuriosus, idem reponet, quod ne uxoratus Lucæ 14. *non possum venire.* Voluptas carnis, ait S. Antonius Pad., iâ detinet hominem, quod nec ad delicias æternas venire desiderat, nec excusari curat.

Joann. 8. v. 8. Invenio resum digito scribentem in terra. Sunt qui dicant descriptum à Salvatore sextum præceptum: *non mœchaberis.* sed quare in pulvere? scripsit olim idem in lapide, fractus est lapis; scribit nunc in pulvere, ut indicet à modico tentationis vento præceptum hoc, acsi pulvis esset, diffilari & vix observari, nisi cum homo in pulverem revertitur.

Nota est de Sirenibus fabula, quod formâ & musicâ incantent via-

§. 3.  
Luxuriosorum  
via-

his domi-  
cilium dæ-  
monis.

viatores, ut & navis ipsa maneat immobilis, sopianturque navigantes marinis belluis in prædam. Ad has Isaias alludit c. 13. *Sirenes in delubris voluptatis*. S. Hieronymus legit: *Dæmones in delubris voluptatis*. Domicilium dæmonis carnalis homo est, unde & immundum Paulus sathanæ tradidit 1. cor. 5. tanquam legitimo domicilium possessori. Si domicilium dæmonis luxuria est, ausim dicere, infernum esse domum meretricis, clamantem enim audio Psalter: *Domine eduxisti ab inferno animam meam*. flebilis anima, inquit S. Petrus Damian., gehenna facta est, tartarus & infernus, in quo habitat diabolus & concupiscentiarum ignis æstare non cessat lib. 2. ep. 5. Samsonis in domum meretricis aditus significavit descensum Christi ad inferos, ut volunt Divi Gregorius & Augustinus; & quomodo meretricia domus plena deliciarum inferno pleno pœnarum comparatur? respondet præsul Hipponensis serm. 101. de temp. *pro inferis ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, omnes intrantes ad se trahit, quia ignem inferni habet domus meretricis*. Gehenna [quo nomine Salvator locum damnatorum appellavit] vallis erat amœna, in qua gentiles idolo Moloch, seu Veneri filios vivos inter concentus musicos cremabant, adeoque luxuriæ locus idem cum inferno est, utrumque enim vox gehennæ significat, quia in valle luxuriæ, & in gehenna degere perinde est, utrobique vermis & horror, utrobique abominatio & desolatio, utrobique insaturata malitia, quæ nunquam dicit: *sufficit*.

S. 4.  
Propter  
luxuriam  
pauci sal-  
vantur.

Gravissima est illa Hieronymi sententia: *de nullo peccato legitur Deus dixisse, quod pœnituit se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit*.

ut verò paucae animæ salvari possent, castitatis præsidio opus fuit, nam in ipsa arca, quod docet D. Johannes Damascenus, separavit Deus Noë, & tres filios ab uxoribus, *ut cum castitate pelagus & illud commune naufragium evitarent*.

Non vanè ipsimet Mahometani fomniāt, ajuntque à resurrecturis in die novissimo hominib' hanc primā vocem edēdam: *Nessi, Nessi*. væ meæ impuditiæ! væ meæ impuditiæ! certè majorem hominū partem ideo dānandā, quod carni potius, quàm spiritui sit obsecuta, gravissimorum authorum est sententia. Eadem res, inquit Lauredanus, quæ implet mundum hominibus, iisdem replet infernum, sicut è contrario castitas cœlum replet, filij enim DEI non ex sanguinibus, néque ex voluntate carnis, sed ex DEO nati sunt. *Demptis parvulis*, inquit S. Remigius in c. 1. Rom. *ex adultis pauci propter hoc vitium salvantur*. Plurimi abstinent vitijs ferè omnibus, non blasphemant, non pejerant, non imprecantur, non detrahunt, atque, ut Zacharias c. 7. v. 11. & 12. ait: *cor suum posuerunt ut adamantem*, sola carnis peccata flocci pendunt, & ideò pereunt. Sunt, ut dixi, adamantes, sed adamantum more sanguinem hircinum admittunt, & dissolvuntur. *De adamante illud mirandum*, ait Rupertus in cap. 7. Zachar. *quod, cum tanta sit duritie, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur. unde congrua similitudo est valde, quia cum cordis indomabilis essent contra DEUM, mollissimi erant in omnem libidinum fluxum*. O quot passim tales adamantes, non DEI sed Asmodæi amantes, adamantes, inquam, sive sapientiam, sive fortitudinem, sive pietatē spectes, puta, Salomones, Sāfones, Davides, sed quos hircin' fœdæ libidinis sanguis faciliè emolliat,

B

Au-

§. 5.  
Luxuria  
cur iniqui-  
tas calca-  
nei voce-  
tur?

Audiamus quid dicat de se Da-  
vid: *cur timebo in die mala? iniqui-  
tas calcanei mei circumdabit me.* ps.  
48. v. 6. per calcaneum Cajetanus  
luxuriam intelligit, quia in planta  
pedis exurgit vena veneris, unde  
Achilles invulnerabilis præter-  
quam in planta pedis fuisse dicitur,  
quod soli carnali amori turpiter suc-  
cubuerit. quot Achilles cætera for-  
tissimi hic defecerunt! iniquitas cal-  
canei circumdabit in die mala, quia  
peccata carnalia sic cingent strin-  
gentq; hominem, ut ad incitas reda-  
ctura sint, nec excusationi locus fu-  
turus. in alijs vitijs facilius est salus,  
at in luxuria penè desperata; oc-  
currunt enim in supremo agone il-  
lecebrofæ cogitationes, quibus im-  
mori solent inveterati malorum.  
*Iniquitas calcanei mei circumdabit me.*  
in calcaneo hæc iniquitas residere  
dicitur, quia contemnitur, & quasi  
peccatum vilissimum conculcatur;  
at postquam mentita est iniquitas  
sibi patratumque nefas, circumdat  
pudore, timore, angore, mœrore,  
amarore hominem, ut vix sui com-  
pos sit. conculcat nimirum vitium  
hominem, à quo tempore concul-  
catum & contritum non fuit. *Ini-  
quitas calcanei circumdabit me:* hoc  
enim peccato potissimum concul-  
catur sanguis Christi, ideoque ser-  
pens antiquus insidiaturus calcaneo  
dicitur, ut in theandrici sanguinis  
proculcatione peccatores inducat.

Vulcanum ajunt Homericæ fa-  
bulæ calcaneo arreptum à Jove  
præcipitatumque cælo, etsi Jovis  
esset filius, pedem fregisse, qui fa-  
brum deinde & Deum ignis egit, ac  
Venerem matrimonio sibi copula-  
vit. Vulcanus iste Lucifer est ob  
deformitatem superbiæ cælo eje-  
ctus, omnium malorum faber, qui  
luxuriam in adjutorium simile sibi,  
ad gignendos filios assumpsit, per  
quam peccatores multiplicat, & in-

fernum titonibus, terrarum verò  
orbem sceleribus omnino omnibus  
implet.

Samaritanam meretriculam  
Veritas incarnata de incontinentiæ  
vicio & sexto contra sextum præce-  
ptum marito arguebat, cum illa  
dolore intimo tacta hydriam ad pu-  
teum reliquit, inque urbem advo-  
lans Auditores ad omniscium pro-  
phetam excivit: *venite, & videte  
hominem, qui dixit mihi omnia, quæ-  
cunque feci.* Joan. 4. v. 29. Dixeratne  
Christus mulieri omnia totius vitæ  
facinora? solum luxuriæ scelus per-  
strinxit, silentio pressit cætera, & hoc  
est dicere omnia? *unum tantum di-  
xit ei scortationis peccatum Christus*  
[Chrysofomi oratio homil. de Sa-  
marit.] *Et illa relicta hydriâ cucur-  
rit ad urbem dicens: venite & vi-  
dete hominem, qui dixit mihi omnia,  
quæcunque feci.* nimirum in uno la-  
sciviæ scelere omnia alia crimina,  
veneficia, iræ, perjuria, rapinæ,  
blasphemias continentur. Cum a-  
dulteram absolveret Dominus: *no-  
li, ajebat, amplius peccare.* Joann. 8.  
nullum specificè peccatum nomi-  
nans, sed omnia universim comple-  
ctens, ubi enim luxuria, ibi pecca-  
ta simul omnia. Et hæc causa est,  
cur à Moysè sola allegetur carnis  
corruptio, ob quam immundus  
mundus diluvio emundari debuit,  
atque etiam ipse Salvator interituri  
mundi causam immunditiæ adscri-  
bat: *Sicut factum est in diebus Noë,  
itã erit in diebus filij hominis. edebant,  
& bibeabant, uxores ducebant, & da-  
bantur ad nuptias; similiter sicut fa-  
ctum est in diebus Loth.* Luc. 17. v. 26.  
fatis est impudicitiam nominari, ut  
consummatissima intelligatur mali-  
tia: *ex hoc malo opere,* ait iterum  
Chrysofomus homil. 22. in Genes.  
*quasi ex fonte quodam multa alia  
suboriebantur peccata, nam ubi luxu-  
ria, verisimile est, ibi & magnam in-  
justi-*

§. 6.  
In luxu-  
ria conti-  
nentur o-  
mnia alia  
peccata,

Gen. 6. v. 5.

justitiam, & avaritiam, & innu-  
mera nasci mala.

Quod scelus enormius esse po-  
test, quàm idololatria atque atheis-  
mus? ad hæc tamen facillimè indu-  
cit luxuria, monente Paulo: *neque  
idololatræ efficiamini, sicut quidam ex  
ipsis, quemadmodum scriptum est: se-  
dit populus manducare & bibere; &  
surrexerunt ludere; neque fornicemur*  
I. Cor. 10. v. 7. idololatriæ fornicatio  
jungitur; quia altera ad alteram  
manuducit, lascivis namque affinis  
& proximus est atheismus, & om-  
nis iniquitas. unde luxuriam He-  
rodiadis & matris vocat Basilus Se-  
leucus *atbeam mulierum insaniam.*  
Sapientissimè quærit Augustinus,  
quinam peccatores mortem Chri-  
sto intulerint? & in luxuriosos de-  
finit; hi enim sese jactitant: *venite  
fruamur bonis, coronemus nos rosis,  
nullum sit pratium, quod non pertran-  
seat luxuria nostra.* quid tandem  
fiet? quid parturient adversus Deum  
animi luxuriantium? sequitur mox:  
*circumveniamus justum, morte tur-  
pissimâ condemnemus eum.* ecce lu-  
xuriæ fructum, ecce Christidij  
authores. à talibus, inquit Augusti-  
nus, *ligatus, casus, interfectus est  
Dominus. quis de coronis florentibus  
cruenta vincula formidaret? quis de  
suaribus poculis dolores sævissimos  
prævideret? quis de mollibus pratis  
tam durum crucis lignum prænosce-  
ret?* at nihil mirum ò Augustine! à  
luxuriosorum rosis prodire spinas  
in caput Christi, ex mellito calice  
emanare fel & absinthium, sputa  
& turpissima phlegmata in os Chri-  
sti, ex mollibus pratis nasci duram  
Crucem in humeros Christi; nihil e-  
nim mollibus ejusmodi hominibus  
durius, nihil inhumanius, nihil  
monstruosius, efferatiusque.

Sint reliqua vitia detestabilia,  
aliquam tamen hominis speciem  
præferunt; at verò luxuria homi-

nem in homine destruit, & in viro  
virum absorbet. acutè Seneca: *licet  
avaros mihi, licet vel iracundos e-  
numeres, vel odia exercentes inju-  
sta, vel bella, omnes isti virilius pec-  
cant: in ventrem, ac libidinem proje-  
ctorum inhoneſta labes est.* hinc tur-  
pissimis æquiparantur bestijs, & à  
prima veritate hædi, porci, canes  
appellantur. hædi quidem propter  
vitæ immunditiem, inquit Lucas  
Burgensis in c. 25. Matt. & quia hir-  
cus præcipitijs gaudet; porci verò  
ob cœnum voluptatum, in quos  
ingrediendi dæmonibus libera fit  
facultas Matth. 8. v. 32.; canes pro-  
pter impudentiam, & reditum ad  
vomitum: *foris canes;* Quid? quòd  
non rarò in belluinas transformati  
formas apparuerint, qui bestialem  
incontinentiam fuerant æmulati.  
Ingressus Massiliense templum Pe-  
trus Cottonus religiosissimus Socie-  
tatis nostræ Sacerdos hominem vi-  
dit clericali habitu & pileo ornatum,  
facie tamen non hominis, sed buf-  
fonis horrendum. quo spectaculo  
attonitus Cottonus vicinos interro-  
gat, quid hoc monstri sit? respon-  
dent non monstrum, sed Sacerdo-  
tem optimum, & confessarium im-  
primis clarum esse Ludovicum Gof-  
fredij nomine. alius nimirum homi-  
nibus esse videbatur, & alius Deo  
erat. Conticuit tantisper Cottonus,  
& ab eventu veritatem expectatam  
didicit, cum personatus iste Sacer-  
dos dæmoni ipsi per signatam pro-  
prio cruore syngrapham mancipa-  
tus foetentissimas spurcicias suas i-  
gne luit Aquis sextijs, neque eluit,  
quia impœnitentem Spiritum ex i-  
gnibus in ignes evomit anno fæ-  
culi hujus undecimo. Antiquius  
est, quod Author fide dignus suo  
accidisse ævo memorat. Equestris  
ordinis vir in Germania, cum patro  
adulterio domum vesperi redi-  
ret, faciem Dæmonis præferre vi-  
sus

bestijs si-  
milis.  
Senec. I.  
de brevit  
vitæ c. 6.

Theoph.  
Rai. in cene-  
tur. hist.

Thomas  
Cantiprat.  
lib. 2. A-  
pum. c. 30.

Sap. 2. v. 8.

Augusti-  
nus apud  
Baëz. tom.  
2. l. 1. c. 7.  
§. 5.

§. 7.  
Luxuri-  
osus varijs

fus est, ideoque à familia univerfa clamoribus, fugâ, & detestatione exceptus delitescere eâ nocte debuit, dum aurora illucesceret, sub quam ad Ecclesiam properavit, ut sceleris sui pœniteret; cui cum vaccæ, aliæque pecudes ad pascuaeductæ occurrissent, mox diros dedere mugitus & quasi fulmine contritæ, quâ data via diffugerunt, idem Pastores, idem obvij omnes factitârunt. Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ ad officium recitandum confidens, ut adventantem conspexit, terrore nimio correptus, cruce se signavit, inque Ecclesiam proripuit ostio firmiter concluso. hic nobilis in genua & faciem proci-duus exclamavit: miserere Sacerdos reverende, miserere miserrimi peccatoris, non sum, qui videor, diabolus; sed abominabile, cuius me millies pœnitet, crimen meum, hâc me formâ induit. quâ voce animosior factus Sacerdos, pœnitentem admittit, audit, absolvit, & propriâ rediisse faciē conspexit. *ô luxuriosi! ô buffones! ô cacodæmones!* si forma corporis exterior interiori imagini responderet, qualia in oculos nostros monstra quotidie incurrerent? & quid erit in æternitate, si permittente quandoque Numine adeo horrificæ contribulium vestrorum formæ apparuerunt in tempore?

§. 8. Nemo miretur, si quandoque inaudiat hunc vel illum luxuriæ cœno inquinatum Sathanæ in carnificinam traditum, & subitanè interemptum morte impiè obiisse, habet enim (ut Arch-Angelus Raphaël Tobix dicit) *habet dæmonium potestatem super eos*, quâ si non semper utatur, inque flagranti scelere Gerasenas hæc pecudes in stagnum sulphuris præcipites agat, propè à miraculo abest. Nec defunt exempla recentia, quibus do-

cemur potestate suâ dæmonium in luxuriosos usum insigniter fuisse. dabo tria de plurimis.

Res non adeo antiqua est, inquit Recupitus, & ab oculato auritôque narrata teste: juvenis nobilis sceleri illi addictus, quod Moy-ses appellat *crimen pessimum* Gen. 38. v. 2. *Et rem detestabilem* Gen. 93. v. 10. Job verò *nefas* *Et iniquitatem maximam* c. 31. v. 11. post multa continentia proposita prolabebatur identidem, & ad vomitum atque volutabrum revertebatur. fuit, cum cogitato sceleri post multos conscientia stimulos, denique manus dedit, ignarus fore illud ultimum, Patientia Dei ultra illum numerum minime expectaturâ. ergo ad conclave secretius se abripuit ad detestabile illud nefas patrandum, cum ecce reperit isthic dæmonem truculentum, qui adolescentem furenter aggressus, fasciam è tibialibus momento solvit, colloque induit, atque è trabe cubiculi suspenso gulam stringit ac strangulat. Relictum est in infelici trabe corpus à lictore tartareo, anima verò in æviter-nos carceres & stagna sulphuris, ultricésque flammæ raptata, ubi in societatem pœnarum socium culpæ corpus præstolatur. Intereâ in urbe celebri & utcunque dissita dæmon ex energumeno edixit, præclarè eâ horâ rem à socio suo gestam in tali urbe, tali platea, tali domo, cubiculo, cum juvene tali, remque ordine propalans ad-jecit, permissum esse dæmonem uti potestate suâ, quam habet super eos, qui ut momentaneam capiant delectatiunculam, æternos non curant cruciatus; Angelum quoque tutelarem discessisse ab impuro adolescente, atque ut miserè strangularetur impudens, copiam fecisse. inquisitum ocyus in veritatem est, repertusque è trabe ado-

le-

Tria exem-  
pla tragica.

Tob. 6. v.  
17.

Iescens carbone omni nigrior, & quovis cœno fœtidior. ò si hoc carbone multorum frontes dexterâsque signare liceret, inque signo Tau commonere: *Time tibi, quia dæmonium habet potestatem in te.*

Recentius est, quod in nobilissimo Poloniæ regno nuper accidit: Canonicus & claritate sanguinis, & opimis præditus Sacerdotijs spurcissimè in cœnosis delicijs volutabatur. Die B. Stanislai nostri, quæ eo anno in Dominicam inciderat, prædium præposituræ suæ Brotensis cum scorto petiit, genio per omnia indulfit, dimissisque ad vesperam ad somnum famulis, solus cum lupa in conclavi hæsit. Sed solus diu non fuit, horridicæ enim variorum animalium voces exaudita sunt, quarum horrore percussa lupa cubiculo se sub necessitatis specie proripuit, in quod horrenda monstra vastitate giganteâ flammantibus oculis, fumantibus naribus irrupere, omniâque infano fragore, boatu, rugitu, ululatu compleverunt. Non potuit, non à famulis inconditus iste exaudiri tumultus; at major fuit metus, quàm ut succurrere Domino suo auderent. unus generosior, cum per portam intrare non posset, scalas fenestris applicat, herum frustra in clamat, ac per effractam denique fenestram irrumpens ostium pandit, & animosiorum aliquantum familiam convocat. at ubi jam Dominus Canonicus? sub lectica capite intra imos pedes contrito in globum convolutus, & sanguine undequaque manans, triste spectaculum & horridum cadaver fuit. Timeant in similem globum convolvi, qui vitiosos circulos adamant, & conglobatis infandæ luxuriæ sceleribus cœlum impetunt; timeant inquam, quia *dæmonium habet potestatem super eos.*

Circa anni 1643. finem non procul Bario in Apulia, sceleratus Marchio virginem Deo devotam vitavit invitam frustra que inclamantem, parceret Virginum Virgini, sub cuius tutela esset, illi illi grandem irrogari injuriam; at blasphemus ganeo; *quid mihi cum Deipara Virgine, idcirco me non pœnitebit.* Nondum sacrilegam saturarat libidinem, & ecce strangulatus à Dæmone egit animam, corpore perhonorificè in templo RR. PP. Capucinorum tumulto, qui quod causam modumque necis ignorarent, varijs defuncto suffragijs succurrere conabantur. proximâ ab exequijs nocte religiosorum aliquis templum ingressus spectrum immane, informe, ingens supra defuncti tumulum deprehendit, exclamat, profugit. ubi verò ex metu non nihil confirmatus est, superiorem audit, & obedientiæ præceptum impetrat, quo redire & spectrum adjurare jubeatur. accepto imperio animosior redit, subsequente mox superiore cum lectissimis aliquot focijs, spectrum adjurat, & ab hoc audit: esse se defuncti animam, æternum damnatam, cuius rei fidem fore, si nullum corpus (quod dæmones iam asportarant) compareret, sed pro corpore intolerandus putor. Aperto itaque tumulto loculus inanis apparuit, mephitis verò erupit tanta, ut ex adstantibus complures semianimes corruerint. Loculus carbonum instar niger ac teter in sterquilinum abjectus est; & ecce quatuor mox corvi affuere, quibus præda fuit, diffringere enim loculum & frustatim devorare visi sunt. pœnè optarem aliqua ex hoc sarcophago sarmenta, quæ è collo ijs appenderem, qui non verentur pro cœnosa libidine in potestatem dæmonum sese dedere, similemque sepulturam mereri.

O infelices orci victimæ, dæmoniorum mancipia, pabula gehennæ! verba me deficiunt, quibus miserrimam vestram, quam sub potestate dæmoni servitis, servitutem ob oculos proponam, gravissimæque, quæ capitibus vestris jamjam imminent, irati Numinis supplicia objiciam. Nihil ergo apud vos virgineus Iesu Christi sanguis, quem toties proculcatis & conspuitis; nihil illius vulnera, quæ toties renovatis; nihil acerbissima mors proficiunt; ut à tantilla voluptatula in acerbissimæ ejus passionis gratiam abstineatis? nihil torrentes cælestium voluptatum possunt, nè eosdem pro unica belluinæ voluptatis stillula æternum prodigatis? nihil æterna inferorum supplicia, sulphurei lacus, igniti buffones, percutientes mallei, bis acuta romphæa; tormenta, tormèta, tormenta quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascèdit, nihil in quâ in vobis efficiunt, ut ad hæc evadenda noxiam momenti unius voluptatulam respuatis? nullane corporis vestri vos tangit miseratio, cujus pulchritudinem luxuria corrumpit, vires enervat, morbos congregat, mortem accelerat? nullane animi subit cura; cuius acumen luxuria hebetat, memoriam extinguit, voluntatem depravat, rationem excœcat, animamque, ut philosophatur Origenes homil. 2. in ps. 36. crassescere facit, ut in carnem velut transeat. *nihil est tam mortiferum ingenijs quàm luxuria*, inquit Seneca Rhetor & Magnus Gregorius: ex luxuria gignitur mentis hebetudo, ita ut præ caligine densa, fumoque per eos profanos ignes subvecto ingenium cœcutiat, lippiat, exoculetur. *parcamus corpori-*

*bus*, exclamat S. Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus catech. 12. *quæ lucere debent sicut Sol; parvum enim est ad horam peccatum, longeva autem est ex eo & æterna verecundia*. Nihil inquam novissimi diei horror, pudor, mœror, nihil iudicis implacabilis furor, nihil accusantis conscientia angor, nihil conclamantium dæmonum sibilus vos movent, ut æternum maledictis voluptatibus ex hac hora dicatis vale, nè inter fœtentes adnumerati hircos aliquando audiat: *ite maledicti*? proh millies milliisque maledicta voluptas, quæ corpus & animam perdis in gehennam. *Veniet profecto dies*, inquit Petrus Damiani, *veniet profecto dies, imò nox, quando libido ista tua vertetur, in picem, quâ se perpetuus ignis in tuis visceribus inextinguibiliter nutriat*. Edax flamma comburit (verba Gregorij) quos nunc carnalis delectatio polluit. *Mortales miseri* [verba Cypriani] *viuent inter incendia, in proprio adipe frixi, & libidines bullient, & inter sartagine flammeas miserabilia corpora cremabuntur*. heu momentaneum & leve (verba Chrysostomi) delectationis vestrae æternum ignis ac tormentorum pondus operatur. Digito ignem modicum tangere horremus, inquit Cassianus, & quomodo non formidamus in ignis rogam ligatis manibus & pedibus injici? gehennam cogitent, qui libidinis igne ardent, sicut clavus clavum pellit (verba D. Isidori) ita sæpè recordatio ardoris gehennæ ardorem extinguit luxuriæ, ita fiet, ut neminem porro in servitutem caro redigat, neminem in potestatem dæmonij luxuria cogat, nemo sit in vinculis  
Joannes.

Damian. ep.  
pist. 6.

S. Gregorij  
lib. 9. mor.

S. Cypriani  
serm. de ascens.

S. Chrysostomi  
reparat  
lapi.

D. Isidorus  
1. 2. c. 30. de  
summo bono.

PHI-